

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Schnobel Conrad Vogt

Disputatio Iuridica De Praeferentia Creditorum

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731862856>

Druck Freier  Zugang



Vorrangigkeit des Glaubiger

J. Schnabel (C. Vogl) Verf.
R. U. im. 1646. / b.

58

DISPUTATIO JURIDICA
DE
PRAEFERENTIA
CREDITORUM

Quam
AUXILIANTE DEO
Consensu
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi
J^ctorum in florentissima ad Varnum
Academia Collegij

PRÆSIDE
Amplissimo, Excellentissimo & Consultissimo
V I R O

DN. JOACHIMO SCHNOBELIO,
J. U. D. Prof. P. Dn. Præceptore ac
Promotore suo ætatem

colendo;

Publicè exentiendam proponit

CONRAD BODE *Vogt*
Lippiâ Westph.

die 26. Septembris in Auditorio Magno

• \$ (o) \$ •

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Academie Typographi,
ANNO M. DC. XLVI.

1646





THESIS I.

Oncursum, ordinem, ac prioritatem Creditorum, utpote frequentem ac quotidianam materiam, pressius rimaturi, potiorem rerum, priorum tamen Verborum rationem haberi, operæ ducimus pretium cum *J. Clo in l. 1, ff. de R. C. 1*. Creditor, pro instituti nostri ratione, is est cui ex qua-
cunq; causa quid debetur, etiam qui propter jus *ut re constitutum actione reali experiri potest*. 2. Concursus est plurium creditorū ad debitum ex iisdem bonis consequendum *simultanea petitio*. 3. Ordo est in suum cuiusq; locum, secundum *jus & cœquitatem facta collocatio*. 4. Prioritas est *jus creditorum in bonis debitoris alicujus concurrentium, quo ex propria vel legis provisione alter alterum in consequendo debito præverit*. Dicitur alias prærogativa, prælatio, privilegium & protopraxia.

II.

Distinguuntur Creditores 1. in eos quibus pure, sub conditione & in diem debetur *d. l. 10 ff. de v. s.* Hi posteriores et si ante diem venientem vel conditionem existentem exigere nequeant *d. l. 10 l. 8. l. 14. ff. d. 2.* in termino tamen aliis Creditoribus præstituto comparent ad deducenda iura sua *arg. l. 11. ff. Ex quib caus. in poss.* Id si negligant, postea vix admittuntur, *Wesemb int. C. ut att. ab ber. Q contr. n. 10.* Vid, etiam *l. 11. s. 1. l. 12. s. 2. ff. qui pot. in pig.* 2. Creditores propriè ita dicti (quibus n. jure dominij vel quasi, itemq; separationis, prærogativa competit de his jam non agetur) quoad præsentem materiam nobis sunt. 1. Privilegiarij simplices. 2. hypothecarij privilegio muniti. 3. hypothecarij simplices. 4. privilegiarij personales. 5. Chirographarij simplices.

III.

Privilegiarij simplices sunt, qui cum hypothecam habere non inveniantur, creditoribus tamen hypothecarijs & alijs privilegiatis omnibus indistinctè omnes preferuntur ex singulare causæ favore. Huc pertinent 1. Qui crediderunt Impensas funebres legitimas, sine quibus funus honestè duci nequit, justam rationem ex dignitate ejus qui

A 2 funeratus

funeratus est, & alijs circumstantijs b. fide æstimandam non excedentes, & quicunq; ab ijs ad quos funus pertinet, funeraria actione quid. quam petere possunt. l. 14. §. 1. 3. 4. & 6. l. 21. l. 31. §. l. 37. l. pen. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 17. ff. de reb. auth. jud. poß: d. alias l. 2. de privileg. cred. Sumptibus funeris æquiparantur erogata in infirmitatem defunctis ut medicorum ac chirurgorum salario, pharmacopai debita, item expensæ ab hospite factæ arg. l. 4. C. de ber petit. Schneid. Inst. de ber. qual. §. 3 n. 27. Wesemb in π ff. de relig n fin. Ea n. in actionem funerariam veniunt: quæ cum cellet, ubi quis reconvaluit, ad expensas in morbum restituti factas idem non poterit extendi. Mer. ad jus Lubec. l. 3. t. i. art. II, n. 99.

IV.

Pertinent huc 2. Qui in confectionem inventarij, insinuationem testamenti, æstimationem, bonorum debitoris foro cedentis aliasve similes causas, hereditatis & creditorum gratia sumptus erogarunt, nec non Curatores bonorum, de quib z.t. ff. de curat. bon. dand. ratione salarij à magistratu vel à creditoribus promissi: qui enim necessariò sit sumptus, semper præcedit, eoq; deducto honorum calculus subduci solet l. 8 ff depos si quas tamen heres contra defunctum habet actiones, hæ non confunduntur, sed similem cum alijs ejusdem generis creditoribus habent fortunam l. fin § 9 C. de jur. de lib. Ultraq; & funebrium & aliarum necessariarum impensarum æquali privilegio munitorum causa inter se concurrente, neutra alteram antevertit, sed solutio pro rata seu ratione proportionis Geometricæ facienda est, per l. s. s. 17 ff. de trib. act. privilegiatus n, adversus privilegiatum privilegio non utitur per vulg.

V.

Hypothecarij privilegio muniti sunt, qui vel tacitam vel expressam hypothecam habentes jure ante alios exigendi gaudent, quos etiam anteriorem expressam simplicem hypothecam habentibus præferri dubium non est, Nov. 97. c. 3. & 4. l. 7. l. 12. C. qui pot. l. s. ff. eod. inter se verò concurrentes ita satis commode videntur collocari, ut i. locus sit Fisco in causa primipilari seu in administratione annonæ militaris l. 3. C. de primip. lib. 12: quæ universis virti bonis exhaustis etiam dotem mulieris primipili sarcinæ obnoxiam facit l. 4. C. in quib. caus. idem in causa tributorum ac collectarum & aliarum id genus pensionum publicarum

carum, passim consuetudine Germanie invaluisse testatur Röppen de-
cisi. 28. n. 23. II. In militiam emendam (militia est officium eorum qui
in aliqua schola sive collegio inter statutos relati sunt, ex quo salario &
commoda ex publico consequuntur Gothofr. ad l. 52. §. 2. lit. d. ff. de act.
empt. quædam vendi & ad hæredes transmitti potest, quædam non, l.
ult. C. de pignor. l. 5; C. qui milis poss. lib. 12. Nov. 53. c. 5. ibid. Gothofr.)
credenti ac specialiter jus pignoris & privilegij in militia aliquando ven-
denda vel casu militiæ, sibi stipulant, Nov. 97. c. 4. Id quod ad eos qui
emendi officij causa mutuum dant recte accommodari putat Gothofr. ad
d. Nov. lit. d. Vid. Beuth. de privileg. credit. p. 11. t. 56. O 57.

VI.

Hisce duobus casibus speciali jure priorem stationem obtinentibus
cæteri privilegiati hypothecarij concurrentes, detractis privilegijs ex
communi hypothecariorum regula, prior tempore potior jure l. 2. l. 4.
l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign. ad prælationem vocandi censentur, cum
privilegiatus adversus privilegiatum alium ceu th. 4. dictum privilegio
non utatur, fac. l. 11. §. pen. ff. de min. Vid. Nov. 97. c. 3. Röppen d. decisi.
28. n. 29 temporis prædictate non apparente, melior est conditio possi-
denter. l. si debitos. 10. ff. de pignor. l. 14 ff. de noxal. act. nullo possiden-
te pro rata debiti, solutio omnibus fiet l. 96. § 3 ff. de solut. Neguzan-
tius de pign p. 5. memb. 2. n. 51. d. t. b. 4.

VII.

Sunt autem præterea hujusmodi creditores hypothecarii privile-
giati, 1. mulier in persecutione dotis numerata ejusdemq; augmento,
l. 12. C. qui pot. Nov. 17. c. 2. O 3. Nov. 109. c. 1. Myns. 4. O 13. Secus in
confessata, creditoribus non numeratae dotis exceptionem etiam post
biennii lapsum opponentibus Sneed. ad §. 29. Inst. de aū. n. 66. Vid.
Myns. 1. O 61. Gail. 2. O. 81. & Merv. adjus Lubei. 3. t. 1. art. 9. Hoc au-
tem protopraxias jus nulli heredum, præter liberos. d. l. 12. §. 2. nec ces-
sionario competit. per. d. §. 19. Inst. Nov. 91. pr. nisi mulieris nomine in
eiusmq; utilitatem, Merv. d. l. 13. Sed Privilégium in dote hoc ob commune
negociationis aut cauponariæ exercitium cessare testis est Gail. 2. 4. O. 4.
n. 5. Beuth. de privil. cred. parte 1. C. 35. in med. Plures casus exceptos
Vid. apud Merv. d. l. n. 53. & seqq.

VIII.

II. Qui in refectionem aut restitutionem collapsatum ædium no-

A 3

minatum

minatim crediderunt, actuali etiam conservatione subsecuta l. i. f. in quib. caus. pig. junct. l. 6. ff. qui pot. Myns. i. O. 60. Gail. 2. O. 12. Idq; optimæ ratione ad inquilinos & alios extenditur, qui pro avertenda ædium devastatione, hodiernas contributiones aliorum nomine militibus solvunt. Identitas enim rationis idem jus inducit l. illud. 32. ff. ad L. Aquil. Usufructarius autem pecuniam simili de causa solutam à proprietario non repetit per l. 27. §. 3. ff. de usufr. l. 28. ff. de usufr. leg.

IX.

III. Qui in aliam rem conservandam aut emendam cum expressa hypothecæ reservatione mutuò dederunt. Nov. 97. c. 3. l. 17. C. qui pot. Hi enim præferuntur in re illa quoad extat l. 8. pr. ff. quib mod pign. Vel hypoth. solv. & in quantum non luculentius creditum, quam rei conservatio & impensæ justæ exigunt: nam pro parte superflua beneficium prælationis cessat. Gotofr. add. l. 5. lit. u. Gail. d. O. 12. Bach. ad Tr. d. tb. ult. lit. B.

X.

IV. Nec Venditori in contractu vel ante traditionem in re vendita sibi pignus expressè servanti idem juris denegatur: hic enim ei cui empator omnia bona obligaverat præfertur, cum ab initio obligatio pignori inhaeserit, simulq; cum dominio ipso quaesita sit, & sub conditione pignoris res tradita intelligatur, qua in conventione Creditorem fraudari iniquum foret. l. 1. § fin. l. seq. ff. de reb. eor. qui sub. tut. Geil. 2. O. 16. n. 7. Koppen. decis. 28. n. 7. & ob hanc rationem cum pupillus in re pecunia sua empta taciti pignoris jure gaudeat l. pen. C. de serv. pign. dat. man. l. s. pr. ff. de reb. eor. qui sub. tut. jus prælationis etiam habebit. l. 7. ff. qui pot. fac. l. 7. G. d. t. Sic & redemptori servi ab hostiis capti, uti jus taciti pignoris in eo concessum l. 15. l. 21. ff. de capt. & post. revers. l. 2. C. eodem ita etiam præfertur aliis quibus ante captivitatem pignoris titulo nexus l. 12. §. 12. d. t. Wesemb. in parat. t. qui pot. n. 5. Et domino soli ratione solarii hypotheca cum jure prælationis compedit, l. 15. ff. qui pot.

XI.

Hypothesarii simplices sunt, quibus supra debitum res etiam suppositæ sunt, & hinc realem ad rem consequendam actionem habent sine exigendi prærogativa l. 17. ff. de pignor. l. 9. C. qui pot. Horum hypotheca 1. Generalis est vel specialis l. 15. §. 1. ff. de pignor. l. ult. C. quæres pigs.

pign. illa in universis bonis constituta res omnes præsentes & futuras etiam non expressas d. l. ult. item actiones & nomina comprehendit. l. 7. C. de heret. vend. l. 4. C que res pign. non tamen ea quæ quis veritatem litera non præsumitur obligaturus l. 6: cum seqq. ff. de pign. l. 1. C. que res pign. Hæc specialis intra rem certam & expressam se continet, indeq; manifestarii pignoris appellatione insignitur l. pen. ff. in quib. caus. pign. Gotbofr. ibidem. nec ad alia extenditur præter accessiones rei pignori datae, quarum dominium ad eum pervenit, qui obligavit. l. 29. §. 1. ff. de pignor. juncta l. 16. pr. ff. eed.

XII.

II. Hypotheca tacita est vel expressa: illa lege ipsa & tacita juris dispositione vel ex præsumpta conventione & ita quadam legis ad silentia constituitur; cuiusmodi competit Fisco in bonis secum contrahentium. l. 2. C. in quib. caus. mulieri, pro paraphernalibus & donatione propter nuptias in mariti substantia l. 11. C. de pact. convent. l. 12. §. 2. C. qui pot. Myns. s. O. 4. & contra matito pro dote promissa in bonis uxoris vel socii vel cuiuscunq; qui dotem promisit, l. 11. §. 1. C. de R. II. A Neguz. de pign. part. 2. m. 4. n. 25. & n. 63. Filiis prioris matrimonii pro bonis maternis & lucris nuptialibus in re patris post secundas nuptias, l. 8 §. 4. C. de secund. nupt. l. 6. §. fin. C. de bon. que lib. ac vice versa iisdem pro lucris ex defuncti patris substantia ad matrem de voluntate in bonis ejus ad secunda vota transeuntis l. 6. §. 2. C. de secund. nupt. pupillis etiam minoribus & aliis quibus quasi debilibus curatores dari solent, in bonis tutorum ac curatorum l. 20. C. de administ. tut. l. fin ff. de tut. & rationibus distractabend. ibi Gotbofr. nec non in bonis Vitrici, ubi mater non redditis tutela gestæ rationibus secundas nuptias contraxit l. pen. C. in quib. caus. l. 2. C. quando mul. tut. off. Nov. 22. c. 40. Datur & hypotheca tacita locatori in rebus conductoris illatis & inventis in prædium urbanum, tam pro deterioratione quam pensionibus l. 2. l. 4 pr. l. 6. ff. in quib. caus. tac. pign. l. ult. C. eodem & in fructibus prædii rustici, l. 7. ff. d. t. Vid. Dd. ad §. fin. In ist quib. m. re contrah. oblig. Et. ff. & C. in quib. caus. tac. pign. Hæc expressa hypotheca est, cum vel publica magistratus autoritate (hinc pignus judiciale aliud, alind prætorium, de quo Vid Bach. ad. Tr. 2. D. 1. tb. 3. lit. C. D. & Dd. ad t. ff. de pign.) vel privatorum consensu ac conventione quadam expressa res obligantur, unde conventionales hypothecarii dicuntur,

quos

quos variis modis fieri experientia docetur. Arrestum hodie pignus etiam tribuit Koppen. decis. 45. n. 30 quod si plures aut unus platum nomine & impensis impetrat, par eorum est causa, qui post arrestum superveniunt, si ei adhærent, post primum impetrantem, quod superest adipiscuntur, atq; inter se pro rata, si paris iuri sunt, dividunt. Ordo ad hæsionis si forte unus præ altero rei semel sequestratae arrestum impetrat, non attenditur, docente Meyio adiuis Lubec. l. 3. t. 1. art. 5. n. 12.

XIII.

Hypothecarij simplices omnibus personalem actionem habentibus tam privilegiatis, de quib. infra Th. 17. quam Chirographarij simplicibus seu non privilegiatis, de quib. ib. 22. præferuntur, l. 9. C. de bonis aut. jud. Inter se autem concurrentes & de prælatione hypothecæ diversis temporib. constitutæ utrinq; contendentes, ordo temporis observatur, ut prior tempore posterior sit jure. l. 2. l. 4. C. qui pot. Myns. 1. ob. 59. prioritatem non ex tempore obligationis contractæ aut traditionis sed hypothecæ metiendo, l. 12. §. 2. ff. qui pot. l. 8. C. eod. In legalitate, tempus hypothecæ & tempus contractus concurrunt per l. 6. §. fin. C. de bon. quæ lib.

XIV.

Quoad præsens prælationis negotium neutiquam distinguitur inter hypothecam generalem & specialem. l. 2. ff. qui pot. l. 6. C. eod. l. 2. C. de privil. s. c. l. 2. C. de pignor. Myns. 6. O. 94. n. 6. nec (2) inter tacitam & expressam l. 8. ff. qui pot. d. l. 2. C. de privil. s. c. eadem enim ratio taciti quæ expressi aig. l. 3. ff. si cert. pot. ut etiam illi quibus legale pignus competit, si eo non contenti, expressa hypotheca sibi caveant, pinguius prælationis jus non consequantur. Bach. d. l. th. alt. l. 1. B. nec (3) prætorium pignus an judiciale d. l. 2. C. qui pot. l. s. §. 4. ff. ut in poss. legat. l. 10. ff. qui pot. sive cum ejusdem sive cum diversi generis pignoribus fiat concursus per mod. alleg. Nisi quod habente quodam pignus prætorium, quando cum alio ejusdem generis pignus habente concurrit, ordo temporis non spectetur l. 15. §. 15. ff. de damn. inf. l. 5. §. 3. ff. ut in poss. legat. nec (4) refert utrum pure convenerit, an in diem, posterior enim adhuc ille est, cui in diem hypotheca constituta reperitur, licet ante diem existentem eadem res alii pignoris sit obstricta. l. 12. §. e. qui pot. cum obligatio in diem concepta statim cedat quemadmodum pure contracta l. 13. ff. de v. s. In hypothecis autem conditionalibus, conditio casualis, mixta, & potestativa distinguendæ veniunt. illæ retrotra.

etrorahuntur ad diem contractus & creditor præfertur ex ijs creditori posteriori pure, l. 9. §. 1. l. 11. ff. qui pot. Hæc non habet retrotractum, ideoq; qui pignus interim pure accepit, prærogativam habet d. l. 9. §. 1. *Vid. c. si pro te 13 de rescr. in 6.* Huic similis est illa quæ factum requirit & determinationem habet à qualitate quæ nondum inest, sed aliquando inesse aut semper abesse potest. l. 11. §. 2. ff. qui pot.

XV.

Quod si pluribuseodem tempore sed separatim singulis in solidum est obligata, singuli etiam in solidum adversus debitorem vel extraneum experintur adversus eundem agendo concurrentes, concursi partes faciunt, & hactenus æqualis omnium causa dicitur l. 20. §. 1. ff. *de pign. att.* paresq; tempore, pares jure censentur, inter ipsos questione exorta, possidentis melior est conditio, l. 10. ff. *de pign.* §. 1. in partes æquas plurib, res obstricta sit, & inter seipso & adversus extraneos, non plus quam in partes competentes agere poterunt d. l. 10. in fn. si nihil dictum in utramq; partem reperiatur, verius est non in solidum aut p. o. partibus æquis, sed pro quantitate debiti pignus ab ipsis vindicari, l. 16. §. 8. p. v. *de pignori.* Hæc accipienda sunt de ijs quibus scientibus eadem res obligatur, si enim quis rem alij obligatam, dissimulata obligatione per calliditatem alij separatim obstrinxerit, distraxerit vel permutarit, stellionatus postulari poterit. per l. 3. ff. *stellionat.*

XVI.

Legatarij eti solo legis placito ac dispositione hypothecam habent l. 1. C. *comin. de legat.* Si tamen bona defuncti solvendo non sint, omnibus creditoribus, & sic etiam chirographarijs postponuntur, cum legata non nisi deducto ære alieno debeantur, & in ea bonorum parte, quæ servari potuit de bonis, pignoris causam habere legatarij intelligentur, l. 4. §. 1. l. pen. pr. ff. *de separ.* l. 1. §. 18. ff. *ad S. C. Trebell.* Hic observandum est, quod hypothecarius creditor posterior, quamvis novissimus, offerre ac solvere possit priori etiam privilegiato debitum, & sic pignus sibi suum confirmare & quoad debiti illius soluti quantitatem in ejus locum ac jus succedere l. pen. & ult. de bù qui in prior. cred. loc. l. 11. §. ult. l. 12. §. 9. l. 16. ff. qui pot. l. 1. C. *cod.* In alijs hypothecam non habentibus hoc non observatur, quamvis eorum pecuniæ hypothecariorum aliquis dimittatur, nisi cum debitore

B

vel

vel creditore cui solverunt, specialiter fuerunt pacii, ut & in locum e-
jus succedant, l. 3. ff. quæ res pign. l. 1. C. de his qui in prior. Cred.

XVII.

Privilegiarij personales sunt, qui privilegium exigendi etiam sine
hypotheca habent, & creditoribus personali tantum jure munitis præ-
feruntur, (de quib. i. t. ff. de privil. cred. incipit à l. 16. ff. de reb. aut.
jud. poss.) Horum inter se concurrentium privilegia non ex tempore
æstimantur sed ex causa, id est quo unumquodq; debitum magis ve. mi-
nus favorable censetur, eo magis vel minus, ille qui petit, ad exactio-
nem præ alijs admittitur: et si ejusdem tituli aut favoris debita furine
simil admittuntur non attenta diversi temporis ratione l. 3. ff. de reb.
aut. jud. poss. Leges causarum favorem ponderantes hunc ferè odi-
neum in concurso videntur præscripsiisse.

XVIII.

I. Deponens apud argentarium pecuniam obsignatam, eandem
in specie repetitur, si non extet amplius, in omnibus traudatoris fa-
cilitatibus antevertit, l. 7. §. 2. ff. depos. l. 24. §. 2. ff. de reb. aut jud. poss.
Extantem ceu rem sui dominij vendicat; si autem ita deponatur pe-
cunia ut tantundem in genere redidatur, ac ferein creditum eatur l. 31.
ff. loc. l. 24. ff. depos. post privilegia demum deponens exigendi jus ha-
bet. d. l. 24. §. 2. ff. de reb. aut jud. Si usuras à mensulario accepit à
cæteris creditoribus non separatur d. l. 24. §. 2. ad numerorum tamen
fortean adhuc extantium vindicationem ante privilegia & creditores
omnes admittitur d. l. 24. §. 2. Quæ distinctio eti depositis quibusvis ac-
commmodari soleat, in alia tamen re, præter pecuniam apud argentari-
um, deposita, si consumpta sit eadem aut perierit, deponentem alijs
creditoribus Chirographarijs potiorem esse jure civili nusquam repe-
ritur, & imputet facilitati sua deponens, quod ejusmodi depositarium
sibi elegit, l. 3. Inst. q. m. re. contr. oblig.

XIX.

II. Qui in navem extruendam, instruendam vel emendam credidit
l. 2. l. 26. l. 34. de reb. aut. jud. poss. privilegium prælationis habet, quod
etiam in aliam rem, præter navem, credenti tribuimus Koppen. decisi. 28.
n. 44. per Autb. quo jure. C. qui pot. privilegio autem locus non est, si
quis non in expressum ac determinatum finem credit, is enim in o-
mnem eventum credere & debitori in quamcunq; rem impendendæ pe-
cuniae

eunae liberum arbitrium relinquere censetur. Nec extra rem, in quam creditum est, poterit quis sibi hoc privilegium arrogare. Ut enim illud non ob mutationem simplicem, sed in rem certam factam conceditur, ita re in quam creditum est, perempta quamvis mutatio duret, ipsum quoq; cessare necesse est. *fat. l. 5. §. 4. 5. 15. 16. l. u. ff. de trib. act.* *Confer. supra th. 7. C. 8. III.* Pertinet huc respubl. Creditrix *l. pen. s. 1. ff.* *dereb. aut. jud. poss.* non Romana solùm sed & aliæ Wesemb. in par. eod. n. 5. Quædam etiam speciali beneficio jus insuper pignoris nocte ad *th. 12.* referenda sunt, quarum causa ab his quæ jus tantum prælationis inter Chirographarios habent, separatur *l. 2. C. de jur. Rep. l. 10. ff. ad municipl.* Idem ius Ecclesiis, Xenodochiis, nosocomiis, Orphanotrophiis, Scholis aliusq; causis piis tribuant *Dd.* imo iisdem lautius privilegium prioritatis sc. ex generali consuetudine & observantia competebat *Keppe. d. decif. 28. n. 25.*

XX.

I V. Impubes in bonis negotia ejus ex officio amicitiae gerentis prælatione gaudet *l. 23. ff. de reb. aut. jud. poss.* sicut & is, qui gratis credidit, quando cum aliis creditoribus Chirographariis usuras accipientibus nec privilegiatis concurrit. Cum enim hic imminentis damni injuriam tantum propulsat, merito præfertur illi, qui simul de lucro captando certat *arg. l. 24. §. 2. ff. d. 1. ibid. Gotbofr. lit. m.* Chirographarius, cuius pecunia privilegiatus ipse dimissus est, ponendum est in eo loco, in quo privilegiatus ipse ante collocandus fuisse. *d. l. 24. §. 3. ff. de reb. aut. jud. poss. l. 2. ff. de cess. bonor.*

XXI.

Chirographarii simplices, qui & personales nudi dicuntur, sunt, quibus ad consequendum debitum in personam actio contractu vel pacto legitimo acquisita competit sine omni hypotheca ac privilegio, adeoq; solo debitoris chirographo vel simili, quo debitum rite probatur, ut testibus, confessione judiciali, libris rationum debita forma modoq; scriptis & munitis nituntur. *l. un. C. etiam ob Chirog.* Hi ultimi veniunt ad reliquias in bonis remanentes, ideoq; raro aliquid residui ferunt Wesemb. par. de privil. *Cred. n. 9.* Si quid tamen superest nullo temporis quantitatis vel alio habito respectu conjunctim atq; simul admittuntur non in æquales portiones sed facta pro rata debiti distributione. *l. 6. C. de ben. aut. Jud. poss. l. 10. C. qui pot. Wesemb. par. d. l. nisi eo nomine*

mine fortè præ cæteris totum obtineant, quod eorum pecunia ad pri-
vilegiarios & anteriores pervenerit, seu dictum. ib. preced. Aut mer-
cator diversis in locis diversas negotiaciones exercens, occasione ha-
rum negotiacionum diversa debita contraxerit: tum enim treditores
separatim ad suæ quisq; negotiacionis lociq; bona vocantur: merci
enim quasi videtur creditum, l. s. §. 15. ff. de trib. art. Cessio etsi in alium
prælatione gaudentem fiat, nemini præjudicium gignit: n. eliot enim
conditio cessionarii esse non debet, quam cedentis, l. invit. 156. §. ple-
rimumq; l. aliud est. 160. §. absurdum ff. de diver. reg. jur. art.

XXII.

Sanè vigilantis & occupantis causa plerumque potior esse solet,
atq; propterea id quod chirographario solutum, miramè in diversionem
vocandum, neq; alijs communicandum etiam si eo tempore quo debiti-
tor solvendo non erat, sciens prudensque quis acceperit a debitor ore
sponte, vel ab invito extorserit, est enim quod priores suæ expensum
ferant negligentiæ. Vid. l. 6. §. 7. l. 24 ff. que in fraud. cred. l. 21 ff. de
pecul. Qui verò post bona possessa debitum recepit, hic in portionem
vocandus exæquandusque est cæteris creditoribus, neque enim
debuit præripere cæteris post bona possessa, cum iam par conditio o-
mnium creditorum facta esset l. 6. §. 7. ff. que in fraud. cred. Idem
obtinet si omnibus instantibus, uni per gratificationem solvatur l. 6. §.
2. ff. de reb. aut. jud. poss.

XXIII.

Cùmautem ij, qui possunt conveniri actione privilegiaria cœnve-
niuntur primo loco à chirographario vel minus privilegiatis,
poterunt exigere cautionem restitutum iri, quod acceperunt, si infre-
ratur postea actio majoris privilegij per. l. 52. §. 1. ff. de pecc. quæ non
exacta, nulloque residuo in bonis existente, privilegiarios simplices de-
in & hypothecarios, & privilegium personale habentes ad id quod a-
lijs solutum est, ex lege condicendum, eo quo ad debiti exactionem
veniunt ordine de quo supra, admittendos censemus per. l. 3 ff. quod
cum eo qui in al. l. 38. §. fin ff. de pecul. Hypothecarij quoque non
solum à posteriori hypothecario, sed etiam à quovis possessore, vel
eo qui dolo possidere desit rem pignori vexam avocare possunt. l. 14.
l. 15. C. de pign. & hypoth. l. 16. §. 3. ff. eod. i. n. l. 23. §. 3 ff. de R. V. pi-
gnore autem bona fide consumpto, adeoque hypothecaria actione
cessan-

cessante arg. d. d. l. l. ad solutum repetendum condicō ex lege com-
petit, quamvis simplices sint hypothecarij privilegio exactionis desfi-
tuti, per l. 12. §. 5. ff. qui pot. in pign. l. fin. §. 5. & 6. C. de jur. delib. His
tamen Dd. communiter soluti repetitionem denegant ad hypotheca-
rios privilegio munitos eam restringentes. Gail. 2. O. 25. n. 16. Neu-
trōs autem sive hypothecam simplicem habeant, sive privilegium cum
ea cogendos arbitramur ut reliquis creditoribus de quota debiti tran-
singentibus consentiant, nec eis praejudicetur quo minus pignori suo
incumbere possint. l. 18. §. 1. ff. mand. licet in dilationibus & cessione
bonorum concedenda non valeant ceteris jure communi simpliciter
se opponere, nisi quantitate debiti praevalente junta l. fin. C.
qui bon. ced. poss. Siugulare est Fisci privilegium, qui alijs
creditoribus pecuniam solutam omnimodo auferens, extraordinario
jure suum recipit l. 18. § fin. ff. dejur. Fisc. l. 5. C. de privil. fis. Illud ob-
servandum est, quod jure civili eandem esse fortis & usurarum condi-
tionem, & has cum illa eodem ordine adjudicandas etiamsi postquam
posteriori res pignori data est, accesserunt, l. 18. ff. qui pot. l. 8. §. fin. ff.
de pign. act. Kopp decis. 28. n. 11.

XXIV:

Tandem cum norma dijudicandi & ordinandi creditorum prae-
rogativas non tam sit ex jure & legibus, quam moribus ac statutis, hinc
evenit, ut haec prioritatis, materia, tum ex diversitate privilegiorum, tum
ex discrepancia jurium sit intricatissima, maximam partem dirimenda
locorum statutis: de quibus notetur, cum certa in statutis referuntur
privilegiata debita, non putandum est ea excludi, quae prater illa jus
commune praerogativā dignatur. Unius enim inclusio non est alterius
exclusio, nec correccio juris communis sine expresso textu sublumenta
etiam prater & post statutorū peculiaria, jus commune sequi fas est. Hinc
quando quædam credita ex jure communi praerogativam habentia et-
iam statutis ut privilegiata fuerunt expressa, quædam vero omissa, quia
illæ dupli & singulare jure nituntur & indubie speciali nota & favore
statutum ea insignire & præferre volvit, potiora etiam habentur, & haec
post illa demum sequuntur ad suam quæq; classem legibus determina-
tam referenda & ordine decenti prudenter inferenda. Vid. Mey. ad jue-
Eub. l. 3. tit. ii. art. ii. n. 33. & 34.

¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶;

SI verum est: vendunt tetrico DI cuncta labore
Et Tibi jam vendit dona labore DEUS
Insta, sic meritam tempusq; laborq; coronam
Cumq; his donabit præmia summa DEUS.

Job. Cothman, D. & Prof. Th.

¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶;

Ad præstantissimum Dn. Respondentem

Dum creditores inter esse debeat
Quis ordo, quæ prioritas, doctè excutis,
Publicè, VOG THI, pandis, hoc ipso indicas,
Te in juris hoc ad præstatio tendere.
Sic perge, & ad spirante summo Namine,
Maturè id assequere, quod desideras.

Joachimus Schnobelius, J. U. D.
& Prof.

¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶; ¶;

Ad Politissimum Literatissimumq;

DN. CONRADUM VOGTIUM
Nunc- Respondentem

Gratulatorium.

Quid juvat obscuræ squalentem poplite divam,
Et vulgus putidum deside mente seqvi?
Degeneres animos stupor arguit! Ite Laverne
Qui sapitis promptas illicet exseqvias.
Non nos ista DEUS, non nos Natura poposcit,
Sed generosa solet prodere corda labor.

Uf

Ult placeas Musis non laudant otia Musæ,
Pythiūs aut molles jus sit habere manus.
Scin dimur ancipiū studia in diversa Mīmervâ
Et genij seqvitur semina qvisq; sui.
Me juvet invicto celestia volvere Marte,
Et superi sensim discere jura DEI,
Qualia non dubio promit QUISTORPIUS ore,
Ille inēi semper pectoris unus amor.
Et latices Sophiæ castos. MAURITIUS illos
Sufficit, æternæ splendida Fama Rosæ.
Nec minus æternum TSCHERNINGI carmen & artem,
Maximus hic versus debuit esse Parens.
Addes innocuum servata semen Idumes
Debet id AUGUSTO Varnia fama suo.
Hæc mihi tanta placent his impallescere vita est,
Ulorapud tales ni licet esse Viros.
At Te Magnifici sinuosa volumina furis
Coccineæ & Themidis sancta Tiara juvat,
Quam caput annosis nitidum ex pietate pruinis
SCHUKMANNI meritâ cum gravitate gerit,
Te juvat æternans RHANI cis tempora Laurus
Immenso vivax Juris in Oceano.
Nunc etiam cupido celebris SCHNOBELIUS adstat,
Aureolæ magnus mysta decusq; deæ,
Perge ita! pomposos Tibi spondet cura Triumfos
Et patriæ laudis semina rara Tuæ.
Exspectat patulis pater hæc amplexibus & Te,
Nec spem fas fuerit fallere posse, Tibi
Nitimus ad culmen, scopulos qui spreverit à se,
Illum præ reliquis parta corona manet,
adfectu honorū causā
L. M. Q. deprop.

C. Thamnitius Thoruniensis.

1660 1660



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn731862856/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731862856/phys_0020)

DFG

Ut placeas Musis non laudant ot
 Pythius aut molles jusfit habet
 Scin dimur ancipiti studia in dive
 Et genij seqvitur semina qvi
 Me juvet invicto celestia volvere
 Et superi sensim discere jura
 Qvalia non dubio promit QUIST
 Ille mei semper pectoris unu
 Et latices Sophiae castos. M A U
 Sufficit, æternæ splendida E
 Nec minus æternum T SCHERNI
 Maximus hic versus debuit
 Addes innocuum servatæ semen
 Debet id AUGUSTO Varni
 Hæc mihi tanta placent his impall
 Ulrapud tales ni licet esse
 At Te Magnifici sinuosa volumi
 Coccineæ & Themidis sanctæ
 Quam caput annosis nitidum ex p
 SCHUKMANNI meritâ cu
 Te juvat æternans RHAN I cis t
 Immenso vivax Juris in Oc
 Nunc etiam cupido celebris SCH
 Aureolæ magnus mysta decu
 Perge ita! pomposos Tibi sponde
 Et patriæ laudis semina rara
 Exspectat patulis pater hæc ampl
 Nec spem fas fuerit fallere p
 Nitimus ad culmen, scopulos qvi s
 Illum præ reliquis parta cor
 adfe

C. Thamni




Image Engineering Scan Reference Chart 1263 Serial No.

Patch Reference numbers on UTT